



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod magicæ artes virtute & scientia diaboli valent, quæ est eis à Deo. F

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

nequeant. Similiter etiam illud Isidori intelligendum est, Angeli mutabiles sunt natura: immutabiles sunt gratia: quia ex natura in primordio sua conditionis mutari potuerunt ad bonum siue ad malum: sed post per gratiam, ita bono addicti sunt, ut inde mutari nequeant. Ad hoc enim repugnat gratia non natura.

*Quod angeli mali viuacem sensum non perdididerunt,
& quibus modis sciant.*

*Lib. de summo bono. 1.
Cap. 12. post medium.*

Lib. 2. super Gen. ad litteram c. 17. in fin. Tom. 3.

Et licet mali angeli ita per malitiam sint obdurati, viuaci tamen sensu non sunt penitus priuati. Nam ut tradit Isidorus, triplici acumine scientiæ vigent demones: scilicet subtilitate naturæ, experiētiā temporum, reuelatione supernorum spirituum. De hoc etiam Aug. ait, Spir. mali quædam verâ de temporalibus rebus noscere permittuntur: partim subtilitate sensus, partim experiētiâ temporum callidiores propter tam magnam longitudinem vitæ: partim sanctis angelis, quod ipsi ab omnipotenti Deo discunt iussu eius sibi reuelantibus. Aliquando iidem nefandi spiritus, & quæ facturi sunt velut diuinando prædicunt.

Quod magica artes virtute & scientia diaboli valent: quæ virtus & scientia est ei data à Deo vel ad fallendum malos, vel ad monendum, vel exercendum bonos.

Cap. 7. in principio.

Quorum scientiâ atque virtute etiam magicæ artes exercentur: quibus tamen, non tam scientiâ quam potestas à Deo data est, vel ad fallendum fallaces, vel ad monendum fideles, vel ad exercendam probandamque iustorum patientiâ. Vnde Aug. in lib. 3. de Trin. Video, inquit, infirmæ cogitationi quid possit occurrere: cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant. Nam & magi Pharaonis serpentes fecerunt, & alia. Sed illud est amplius admirandum, quomodo magorum potētia, quæ serpentes facere potuit, vbi ad muscas minutissimas,

scilicet

scilicet cimices ventum est, omnino defecit: qua ter-
 tia plaga Ægyptus cædebatur. Ibi certe defecerunt *Ibidem con-*
 magi dicentes, Digitus Dei est hic. Vnde intelligi *tinuo.*
 datur, nec ipsos quidem transgressores angelos, &
 aëreas potestates in imā istam caliginem tanquā
 in sui generis carcerem ab illius sublimis æthereæ
 puritatis habitatione detrusos: per quos magicæ
 artes possunt quicquid possunt: non autem aliqd
 valere possunt, nisi data de super potestate. Datur
 autem vel ad fallēdum fallaces sicut in Ægyptios,
 & in ipsos etiam magos data est, vt in eorum spi-
 rituū operatione viderentur admirandi, à quib⁹
 fiebant damnandi: vel ad monendum fideles, ne
 tale aliquid facere pro magno desiderant, propter
 quod etiam nobis in scriptura sunt, p̄dita: vel ad
 exercendam, probandam, manifestandamq; iu-
 storum patientiam.

*Quod transgressoribus angelis non seruit ad nutum
 materia rerum visibilium.*

*Lib. eod. c.
 s. in princ.*

Nec putandum est istis transgressoribus ange-
 lis ad nutum seruire hanc visibilium rerum ma-
 teriam: sed Deo potius à quo hæc potestas datur
 quantum immutabilis iudicat.

*Quod non sunt creatores, licet per eos Magi ranas,
 & alia fecerint sed solus Deus.*

H

Nec sane creatores illi mali angeli dicēdi sunt, *Ibidem fere*
 quæ per illos magi ranas & serpentes fecerunt: non *continuo*
 enim ipsi eas creauerunt. Omnium quippe rerum *Augustin.*
 quæ corporaliter visibiliterq; nascuntur, occulta quæ-
 dam semina in corporeis mundi huius elemen-
 tis latent: quæ Deo originaliter eis indidit. Ipse er-
 go creator est omnium rerum, qui creator est in-
 visibilium seminum: quia quæcunq; nascendo ad
 oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus acci-
 piunt progrediēdi hæc primordia, & incrementa de-
 bitæ magnitudinis, distinctionesque formarum
 ab originalibus (vt dicam) regulis sumunt.

X

Sicut